Kupiłem od p. Miłkowskiego
za 11 Złr. 50 c. d. 5/11 886
Ks. A Sutor

LILIVM BONERIVM

Candore Innocentiæ, Odore pietatis ac ſcientiæ, Virtute prodigiorum,

INCLYTVM.

Anniuerſaria Solennitatis Die,

Eximij Serui Dei,

REGNI POLONIÆ PATRONI,

B. ISAIÆ BONERI,

Sacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Eremitarum D. Auguſtini:

In Baſilica D. Catharinæ Virginis & Martyris,

CASIMIRIÆ

AD

CRACOVIAM,

Publica Panegyri

CELEBRATVM,

A

Caſimiro de Tęczyn Tarło Palatinida Sandomirienſi, in Alma Academia Cracouienſi Philoſophiæ Auditore.

Anno Floris Nazareni in campo Bethleemitico Nati M.DC.LXXI. VI. Idus Februarij.

CRACOVIÆ Ex Officina SCHEDELIANA S. R. M. Typogr:



Princeps ordinantis ſimulacrũ DEI eſt, qui non Phidiam requirit fingentem, nec Polycletum vel Myronem; ſed ſemet ipſe ad effigiẽ DEI, per Virtutem componit: quiue religioſus iuſtitiam colit. *Plutarchus.*

ILLVSTRISSIMO CELSISSIMO ac REVERENDISSIMO,

PRINCIPI,

D. CASIMIRO FLORIANO

DVCI IN KLEWAN

CZARTORYSKI.

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Wladislauiensi & Pomeraniæ;

PATRONO MEO AVGVSTISSIMO.

PRinceps florum, vnio solitudinis Augustinianæ, LILIVM BONERIVM ambit impensiùs Regale pro Vireto Eremitico, Regij Cataphracti TVI Scutum, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, CELSISSIME, REVERENDISSIME. Latiorem quippe in terris poscit campum, vbi iam cælos odore impleuerit; ignara est amplitudo virtutis, angustis circumscribi limitibus, cumq; astra possederit, ad ima non habens quò altiùs ascendat, descendit, ampliorem in dies quærens ac reperiens tractum. Nec commodiùs ex Casimiritana Eremo FLOS hic, sanctimoniâ & miraculis, plurima iam per lustra vernans, aliò transferri potuit, quàm ad CASIMIRVM, quàm ad FLORIANVM, cuius non otiosum nomen, ver amœnum, autumnum frugiferum, admirandam virtutum adoream refert continuò. Rectè admodùm MAGNI AVRELII, non minor propago Beatus ISAIAS BONER, ad TE quibusuis literis imbutum Principem, sui per Religionem Parentis, D. Augustini familiarem diuertit: seu victori inuictissimo EQVITI TVO IAGELLONIO, tot palmaribus laureis onusto, quot triumphis in fortitudine GEDIMINORVM, OLGERDORVM, IAGELLONVM, KORYBVTHORVM, KORETIORVM, inclyto herbam porrecturus: seu inermi Regnatrici Plantæ suæ, decus & præsidium, apud Regium sanguinem TVVM aucupaturus. An non vltrò properaret eò laureata pietas BONERIA? vbi hæreditaria sanctitas moresq; castissimi, eruditio præcelsa admirationem cum imitatione, huic sæculo, exemplum famaq; materiem posteris struunt exactiùs: vbi Theologorum Phœnix nidum, Philosophorum Antesignanus Peripateum locâsse, diserti efficaciter anima Periclis, dulcis genius Isocratis, Romani Apollinis, Latinarumq; Musarum sublimis spiritus, altam construxisse Maiestatem creduntur non dubiè. Prima porrò Religionis cura, in TE PRINCEPS ILLVSTRISSIME eminet eò notabiliùs, quòd hodie non pauci politica insignes prauitate, Religionis nomine, tanquam velamine abutuntur, & prout expedire visum fuerit, cælum & astra in partes vocant: TV cunctis Religionem præponis, cuncta officio Pastorali postponendo, Diuinitati propiores, cordi TVO proximi sunt: nec diuerso gestientis animi affectu, ab aspectu TVO atq; à templis arisq; discedunt, vota pro sua nuncupantes indigentia. Tanta Religio! tanta Pietas TVA! hæc IAGELLONII EQVI-

TIS TVI currentis an volantis ad decus æternum via: hæc legitima apotheoſis, quâ non extincti ſublatiq́; è gremio mortalitatis, ſed viui & videntes donantur Principes. Eruditionem verò TVAM, prouidorum in Senatu Regni conſiliorum officinam, quis eruditorum ſtylus: quod facundum os explicare dicendo exæquabit? magnitudo eius tanta eſt, vt oratorium captum & conceptum ſupergrediatur, nec facilè verbis exprimi poſsit. Agant potiùs oratorum partes, ipſæ cultiſsimæ virtutes ipſaq́; loca, TVIS virtutibus & infulatâ doctrinâ tantò vberiùs exculta, quantò velociùs præueniens annos, in quibus erat iuuenile nihil, præter ætatem, conſcius virilis ſenſus, maximis rebus ac negotijs Eccleſiæ ac Reipublicæ admotus eſses, anteq́; tricennium meritò Sedem Poſnanienſem Pontificio aſcenſu ſuperares. Non obtendat vmbratile ſilentium, culmen Vauelli copioſo ſplendori, è diſerto ore TVO promananti, quo triplex illius Diadema hodie quoq́; radiat. Extollant mænia Craci Apoſtolicam vel Szczepanouiæ conſonam vocem TVAM, cuius Echo ſonat adhuc dulce, intra Vauelli ſaxa, è quibus Gentilitius EQVES an EQVVS TVVS Pegaſo præſtantior, fontem Infulati Honoris elicuerat, inexhauſti laboris refrigerium: dum TE hinc trinâ redimitum coronâ, ad Infulam Poſnanienſem, ab illa ad Cuiauienſem portaret gloriosè; nec-dum quieſcens ad altiora efferre contendit; maiora namq́; præmia deberi maximis TVIS in Eccleſiam & Patriam meritis, bene ex communi fama didicit; quanquam tot baiulos ad famam ac faſtigia honorum habes ILLVSRISSIME PRINCEPS, quot militares animos fatali nexu ad diſtrahendam Regni integritatem colligatos, difficillimo ac triſtiſsimo illo tempore, prudenti ſolertia, ſolerti dexteritate atq́; ſuadâ, veluti Superûm Nuncius prodigiosè diſſoluiſti, tumultuarijs maleq́; ſanis mentibus ad frugem & tranquillitatem reductis. Non diſsimilem Curtio Romano Gentilitium EQVITEM TVVM, immo Patrem Patriæ, tota credidit tunc Sarmatia, cum ſeſe ille animoſus omniſq́; formidinis expers, in medium ſeditioſi Martis & furentis Bellonæ, tanquam in terribilem hiatum, pro Ciuium ſalute ocyus immiſiſset, Remq́; Polonam adeò deprædicando auſu feliciter reſtituiſset: Cuius ego auguſtas laudes, tardiori penna mea nondum magnis laudibus aſsueta minimè aſsequi valeo, reluctante præterea conatui meo TUA modeſtia: quantò enim magis laudanda patras, tantò minùs laudari exoptas, ſolaq́; TIBI virtus pretium, præmium, & orator; omnia in conſcientiam, nihil in oſtentationem refers, neque præclarè factorum à fugaci populari aura mercedem, ſed ex ipſis æternùm duraturis geſtis aucuparis. Probatur Cælitibus tanta virtus, quam ſibi patrocinari in BEATO ISAIA poſcunt: non alibi vernare decentiùs Rex FLORVM eligit, niſi in Auguſta CATAPHRACTI TVI Pelta, nitido quoq́; LILIO affinis TVI IAGELLONIDÆ D. CASIMIRI diu inclyta. Potietur auguror voto ſuo B. BONER, votis TVIS proſperrimos euentus, honorum acceſsionem cælitùs certò allaturus, magnumq́; nomen maximi Paterno Maternoq́; Sanguine Principis, vtroq́; Maieſtatis Regum Poloniæ ac Bohemiæ participis, ſideribus illaturus. Aſt cum BEATI cauſam ago apud TE ILLVSTRISSIME PRINCEPS, meæ non immemor, beari TVO fauore feruenter ac demiſsè expoſco, vt quem communio ſanguinis, naturæq́; Sacramentum TIBI arctiùs adſtrinxit, ac in TVVM ex integro adſciuit, gratiæ firmitudo retineat firmiter, quâ obligatus à TVO arbitrio nullatenus amouebor.

Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſimæ Celſitud: TVÆ,

Deuinctiſſimus Nepos ex Sorore

CASIMIRVS de Tęczyn TARŁO, Palatinides Sandomirienſis.

PANEGYRICVS

FLoridam & venuſtam hortorum faciem ſpeciemue, inter brumalis Idus Februarij, vernanti ſeu oculo ſeu animo ſpectare, prodigium creditis A. D. Damnata enim ad hyperboreas frigidi Aquilonis oras, potens & imperioſa natura, duræ hyemis tyrannico ſubiecta imperio, ingenioſæ artis, & artificioſæ libertatis circa depingendum eleganter globum terreſtrem, aut penitus obliuiſcitur, aut obliuiſci cogitur. Et apud quas nunc Arctoas gentes gelu rigentes, obrutas pruinis, fructiferæ arbores hortiq; florent, prata rident, campi rutilant, agri germinant, ſyluæ ac deſerta virent? Temporanea hæc mundi in tempore conditi forma an felicitas, cum labenti verno tempore abijt perijtue, breui nata, breuiùs duraſse edocuit. Quocunq; oculos vago & curioſo aſpectu circumferemus, nullam elegantiam, nullũ cultum, decentis & delicatæ Floræ mirabimur læti: immo vultu ſuſpenſo, mente ſtupefacta deſpiciemus, viridaria ſqualida, prata mærentia, arua rigentia, horrida deſerta, atras ſolitudines. Extra paradoxum tamen, ſub ipſa Arcto, media hyeme ver hodie eſt, illudq; etiam decantato per fabulas Elyſio inſuetum, lætis Tempe inauditum, florentibus oris Libycis neutiquam viſum. Apparuerunt hodie flores, veriùs Florum Reges, LILIA BONERIA, in Auguſtiſsima Eremo Auguſtiniana: ne vel ſolius Alexandri Medicæi Ducis Florentiæ, floridus celebretur per hiſtorias hortus, ob erumpentes V. Idus Ianuarij, fatali omine, omnis generis flores, quibus nullum inſerendum eſſet encomium, cum vix apparentes illico diſparuerunt, amiſsáq; momentanea ve-

nuſtate, inamiſsibile dedecus fugitiui decoris retinuere: quantùm enim ſibi in amœno exortu acceſsit lætabundi ſtuporis, tantùm in funeſto occaſu deceſsit ſplendoris. Porrò tam lugubris quàm ſubitanea eiuſmodi cataſtrophe, à Gentilitio LILIO BONERIO bene aliena eſt: viget illùd floretq; in Florentiſsimo D. Auguſtini Vireto, ad immarceſcibilem ſacræ Solitudinis virorem ac pulchritudinem. Iucundum quocirca fore auguror vobis ſentire ſpectareue: mihi non acerbum, tum narare tum monſtrare vmbratili Orationis meæ ſtylo, FLORIS adeo excelſi eximiiq; B. ISAIÆ BONERI, optimum candorem, mirificum odorem, atq; virtutem prodigioſam: annuetis credo ver hodie eſſe, vbi vera narranti ſolidè benouolam dederitis aurem, quam deprecor; approbabitis non ſine voluptate ſidereum planè ſacræ ſolitudinis cultum, vbi attentam pergrata amœnaq; monſtranti impenderitis mentem, quam mihi non dubius ſpondeo.

Proſperitas Candoris pediſequa eſt. Non ceſpitat in vmbra ſeruitutis, cui ſublimis & illimis Candor, facem ad libertatem dignitatemq; præfert, Æthiopibus & Indis ij maximè reges creantur, quibus potiſsimùm formæ dignitas, primarius Elector ſuffragatur, ipſa venuſtate pro albo ſtante calculo. At cælitibus quoq; vſu venit, regia nam Cæleſtia munera, pulchritudine præcellentibus vltro elargiri. Niueus Ganymedes, Iouisq; Pocillator, & illud è nubibus ad ima hæc deuolutum inſigne regium, pomum aureum, cum epigraphe an epiphonemate? Detur pulcherrimæ! fidem argumentumq; facit; quanquam ſatis dictioni meæ authoritatis aduenit, à Tuo Gentilitio B. BONER, Candido LILIO, per FLORIANVM BONERVM magni nominis Parentem Tuum, inſerto niuibus Sarmaticis Lechicoq; Solo, ex Gallico Solio, tranſplantato, fauente plurimùm Philippo Rege fortitudini Boneriæ Anglicanas vires concutienti & frangenti glorioſè. gaudebat vehementer Polonia & Lithuania ſuiſq; Campis tam culti FLORIS decorem, ſeriò gratulabatur, aliter Superis de illo ordinantibus, cuius niueam innocentiam intantùm adamauerant, vt vix aliquot luſtra florere illum per

ante-

anteriorem propaginem in solo Sarmatico concedentes, primùm in Te ô Diue DOCTOR veluti in compendio Familiæ, ad Eremum Augustinianam, vbi

- - - . *Inscripti Nomina Regum*

Nascuntur flores:

post ad Cæleste,æternitatis viretum cumulatim transferrent exultantes, quibus etiam insuetum diu carere iis, quæ æternis prosequuntur amoribus. Quidni velocius absq; mora pateret ad Lilietum Diuorum, via lactea Innocentissimo FLORI non ex fabuloso Iunonis lacte, sed ex heroico BONERI optimè de Regno nostro meriti viri,& illustri Lanckoroniorum Sanguine prognato propagatoq;? cum nulla vnquam letalis noxæ fuligine adspersus nulla coinquinatus labe, ad stuporem sui sæculi, albesceret ac niteret; non eum infernalis Boreas gelido frigore acediæ, aut in maligno positus Sirius mundanus, impio fœdoq; ardore affecit adussitue aliquando. Adstruant cæteri Liliis pretium & formam ab auro & arte, a commentis & adulatione: suum D. ISAIAS nulla re magis voluit,curauit,quàm elegantiâ candoris, puritate animi, innocentiâ morum, niueâ sanctitate, præstare excellereue. Supra omnia telluris inquinamenta, ipse eminebat, ipsi cælo candore suo congenito gratus & commodus odorem daturus, à cælo honorem, felicitatem, gloriam,vltra gloriam sapientissimi Solymæ Regum abundè recepturus; vt nouum hinc assumat mundus argumentum,è Cælo potius venisse LILIVM BONERIVM, cũ tanquam peregre terras inuisens, ocyus ad supremos Superûm hortos transplantatum est, quò sola attingit admittiturq; puritas, vbi solus æstimatur dominaturue candor. O permũdum LILIVM! O FLOREM nitidissimum! quàm iucundè oblectat oculos,recreat animos, penetrat admirandâ pulchritudine pectora, exhilarat deuotas mentes, candore intemerato. Metus est apponere ei epigraphen languenti flori adiectam olim à quopiam; Forma breuis. Perpetua enim LILIO Augustiniano maiestas ac venustas, tantùmq; huic propria & æterna, quantùm reliquis communis & horaria.

 Pude-

Pudeat hìc intemperantiùs iactare, an acerbiùs insultare Satyricum vatem; Stemmata quid faciunt? B. ISAIAS primæ origini suæ candidoq; Stemmati concolor, niueam semper retinuit innocentiam, quam & si non accepisset à maioribus hæreditariam, certò fecisset ipse; extra omnis pænè vitii periculum viuendo, intra limites probitatis consistendo; vnde constat à prima infantia Candidatum illum atq; hæredem fuisse Paradisi: vrbis noxas non quod nosceret fugit, sed ne agnosceret declinauit, Sacramq; pro Elysio D. Augustini solitudinem, vnicè incoluit viuus, ne post fata profanam multitudinem vitiorum sæculi, coluisse diceretur; cum certius non aliunde testimonium anteactæ vitæ obuenit cuiuis, quàm à tumulo & sepulchro, exstincta sepultaq; adulatione & inuidiâ, magnarum ac nobilium virtutum maximis hostibus. Atq; iam peraugusto Candore LILII BONERII delectatus, Diuinum Cælestis pietatis odorem sentio ex eodem perabundè: diffunditur in omnes, nemini non acceptus, vno loco Eremitico minimè coarctatus, totam complens & reficiens Europam: latere nequit quod publico Soli & vtilitati, Superûm arbitrio datum concessumue. Non ego hìc ambio vestra thura molles Sabæi, pictiq; Arabes: LILIVM BONERIVM thure vestro multò fragrantius amo; excedit pietas omnem hortorum fragrantiam, viq; suâ quasuis nociuas vires & virus pellit, tollit, exstinguit. Quo enim D. DOCTOR pestiferos inferorum halitus, contra suum intaminatum spiritum exhalatos, vt sæpius ita efficaciùs repressit? Odore pietatis. Qua arte vecordes Momos, mordacesq; Zoilos suæ inediæ, vigiliæ, noctium insomnium, tolerantiæ laborum & aduersorum, animosus perstrinxit? Odore pietatis? Quo robore iniuriarum, contemptuum, illusionum, iuratas & armatas acies, contra inermem quia innocentem vitam (non muniuit enim natura spinis Lilium) cum triumpho crebriore dissipauit? odore pietatis: Quod antidotum vesanæ ac rabidæ detrahentium, cauillantium, vellicantium, mordentium censuræ opposuit & apposuit? ODOREM Pietatis. Sensisti ô Diua

Potens

Potens Cæliq; Imperatrix MARIA, iucundum ſanè odoramentum perquàm grati huiuſce FLORIS, integris pænè dieb9 noctibusue, Tuam ante aram, his in ædibus intima cordis ſuſpiria deuotiſsimè exhalantis. Senſiſtis Adminiſtratorij Supremæ Maieſtatis Spiritus, toties in àëra præ dulcedine odoris, LILIVM EREMITICVM tollentes, illudq; Cælo cum palmari concentu introducere identidem contendentes, vtpote dignum ſuperno Capitolio Iouem, ni terrenna iuſta vota obſtitiſſent, natumq; FLOREM ad Lechiæ decus & præſidium detinuiſſent. Senſiſti & Tu Illuſtriſsime Zbignee Lanckoroński Regni Marſchalce (vt reliquos taceam) eundem ſacrum odorem, quo vt ad ſatietatem fuiſſes recreatus, è Regia ad Eremiticam migraueras caſam, ipſos etiam Diuos Indigetes in ſacris Oſsibus eorum, huc Tuâ curâ & liberalitate illatis, Tuæ fortunæ odoriferæ, faciens participes: ne bonum hoc adeo diffuſiuum ſolis indigenis cōmune haberetur. At non ſine teſtibus, veſtrum ante tribunal ſiſtitur BONERIA pietas: nulla quidem illa ſuſpicione, in hunc vſq; diem laborat, per non leue ſæculum notiſsima ac integerrima: ſed vt Cherubica, altior nimirum humanâ credatur, ſupremo elemento, igne flagrante comprobatur, tantò certiore teſte, quantò puriore, aut ab omni aſſentatióne, communi auidis mentibus vitio, alieno. Mira narro. Fecerat D. DOCTOR pingi coloribus binam Secundæ ab vno Trinoq; DEO VIRGINIS DEIPARÆ imaginem mæſtam ac lætantem, hanc ad templi valuas, illam ſupra verticem ingredientium cœnobium, vtramq; in periſtylio ad cuſtodiam & præſidium habitantium, vt Viretum Auguſtinianum paradiſo felicius habeatur; tantis excubijs longè celſioribus quàm Cherubicis beatum: aut ne LILIVM MYSTICVM inter Spinas conſpiciatur amplius, horto Auguſtiniano decenter inſertum. Si fas eſt D. DOCTORIS penitius aſſequi mentem: Speculum ille, originalis actualiſue maculæ expers, in ipſo expoſuit aditu, tanquam ex eo & in eo illimem vitam Eremiticam orbi publicaturus: vel quia ſic decebat Puriſsimam FLORIS NAZARENI PARENTEM prima in area ante

famu-

famulantes suo honori Flores collocatam esse, vt decora multùm, etiam in ipsa fronte solitudo conspiciatur: FORMA DEI, primo in limine consistente, siue venustam hæreditatem ab ipsis primordijs capiente, à qua nec per igneam violentiam dimoueri se siuit; Secuta enim Casimiriæ clades fortè, an Superûm irâ, omnibus quæ huic vrbi per furorem Vulcani acciderunt, grauior atq; atrocior. Impetu firmatum peruagatumq; incendium, plana primùm deinde in edita assurgens, rursus depressa populando, tam magnifica quàm sine arte, singularia comprehendit ædificia, atq; remedia velocitate an violentia mali anteiuit. Obsistebat effusa vndiq; multitudo, vt cuiq; præsens aderat ingenium, aut pauore non correptum robur: pars flagrantia tecta distrahere, pars fumantia inconsulto ausu, leui vel nullo auxilio scandere; neq; tamen sisti potuit, & si hi volantes scintillas incendiorum coryphæum reprimebant, illi aut fido obsequio fortunam herorum, furentibus flammis eripiebant, aut nefaria lucri cupidine furtum faciebant. Alij quantùm erumpens permitteret flamma, cum hydrijs & siphonibus accurrere propiùs, superfundere aquas: quidam manus protendere, vias complere, pauentes trahere, inualidos opperiri, quæstibus, lamentis, votis, clamore diuersa rogantium, vel incerta respondentium, strepitu corruentium ædificiorum, omnis ora compleri igneq; relucere. Multi è præstantioribus ardore correpti exstinctiue, plurimi de inerti vulgo, ignescente mole obruti, iusta funebria ritu quasi antiquorum, suo casu sibimet in ferali busto faciebant, prælucentibus ad immortalitatem tot facibus, quot ædes haurirentur; verùm

Quis cladem illius fati? quis funera fando
Explicet? aut possit lacrymis æquare dolores?
— — — — — — —Crudelis vbiq;
Luctus, vbiq; pauor, & plurima mortis imago.

Haud minùs illo tempore ineluctabili miserabiles Casimiritani, quàm quos ferox Annibal circumsedit, aut Troianum fatum comprehendit, Sinone incendia miscente. Latè

porrò

porrò vagatus ignis ſacra profanaq; non diſtinguens, corripuit omnia, abſumpſit multa, cui nec domus munimentis ſeptæ, nec templa muris cincta, aut quid aliud moram interijciebat. Auguſta hæc Baſilica toto cum Cœnobio, ardentem quoq; intra ſe recepit Vulcanum, cunctaq; ſua vel inuita eidem ſacrauit, labentibus ſuſpenſis fornicibus, manentibus verò intactè ſolis illis duabus imaginibus AVGVSTISSIMÆ Cælorum REGINÆ, quas B. BONER in parietibus exprimi allaborauerat. Ita effigiem MARIÆ ignis reueritus eſt. Ita pietatis BONERIÆ opus, æternitati elaboratum de excidio triumphauit, huncq; in diem captiuas ſupplicantium ducit calamitates, paciferæ ramum oliuæ donans accurrentibus. Cedite arroganti luſu operoſæ manus A[illegible]pellis vel Phidiæ, Lyſippi vel Zeuxis, ipſi tantùm antiquitati ſtupenda artificia: in comparatione Artis BONERIÆ, nihil in vobis ſtuporis, niſi quòd in æuum exſtructa, diuturna eſſe nequiuiſtis, edaci rerum tempori in pabulum concedendo. Quid enim? Ægiptia Memphis pyramidum miracula vltra veritatis orbem extollis? Inſolenter pendentia mauſolea, ambitioſi Cares iactatis? Operoſi Iones fanum Dianæ arrogantius oſtentatis? vmbram ſcilicet ſoli & noctis caliginem, luci diurnæ præfertis aut opponitis.

Faſtigiata Pyramis,
Memphiticis in oris,
Tam plana facta caſibus,
Quàm campus eſt cylindro.
Septena quæ miracula,
Iactabat ante mundus.
Septena ſunt ludibria,
Et nobiles Chimæræ.

Velata quæ ſunt ruderibus, aſſentantium turba argumentum peſſimi, non amoliatur: ſatiùs rectiùsue BONERIVM

Vnum pro cunctis, fama loquatur opus.

Neq; verò vnico odore LILIVM BONERIVM inclytum arbitremur; alterum haurio, ſublimis ſcientiæ, eruditionis præcelſæ, eruditæq; ſapientiæ, vtrâq; Laureâ, in Alma Vniuer-

ſitate noſtra Cracouienſi exornatæ; amant vtiq; & Flores à doctis Camœnis coronari, quas mutuò crebriùs redimiunt, vt vel hac pompâ victrices liuidæ ignorantiæ monſtrentur colanturue. quanquam Academicæ Laureæ, palmares coronæ vel ante pugnam fuerunt, Magno Heroi BONERIO, contra Huſsitanam colluuiem Pragæ, contra vagantes Schiſmatum turmas, in Concilio Conſtantienſi, vt conſtanter ac ſtrenuè decertanti, ita prudenter ac ſubtiliter diſputanti, anteq; victoriam, de rebellibus animis, victori triumphanti; non enim tardant præmia, accelerantibus procul morâ, dubio procul, virtutum operationibus. Auxiſti Eruditiſsime FLORVM, literarum ac monumentorum famâ conſpicue, ſcientificam odorationem augmento foliorum, tot miracula inuoluentium, quot arcana DIVINÆ TRIADOS concinnè explicantium. Vnde patriſſare Te, nemo negabit dum mentem ac ingenium Patris Tui Phœnicis Doctorum refers. Auxiſti quatuor voluminibus ſensū Magiſtri ſententiarum, probè admodùm deprehendentibus, ſtabilemq; doctrinam Romanam, per quatuor plagas orbis diuulgantibus. Auxiſti beatâ dicendi copiâ atq; vbertate, ferreos vitioſorum animos emolliente, & pluſquàm glaciali conſtrictos algu, in tam gratos cælo, quàm vberes torrentes lacrymarum, non rarò ſoluente, intonando frequentiùs, more tonantis ac fulgurantis Periclis; *Tempus breue, iudicium difficile!* Tantus nihilominus eruditæ doctrinæ odor D. DOCTOREM, ad ſpontaneam abiectionem deprimebat ſuauiter, non ad elatæ mentis tumorem erigebat violenter; ad humilem de ſe ſenſum alliciebat, non ad arrogantem opinionem impellebat, ad ima profundæ humilitatis ducebat, non ad edita aſſurgentis per inane ſuperbiæ culmina efferebat; eruditus ipſe pallor, virginali rubori infuſus, vigilatis ad libros noctibus attractus, feſsi in operibus oculi, cadentia ſupercilia, comitatem, modeſtiam ſuadebant ſpirabantue. Ea namq; LILII & ſi cuiusuis maximè tamen EREMITICI, natura ac indoles eſt: vt ponderoſum caput verſus terram inclinet, languidoq; collo nec veluti o-

neri

neri capitis sufficienti, edoceat spectantes; leuia multùm & vana illa esse capita, quæ erectæ ac supinæ insidendo ceruici, superbum continuò inter astra circumspiciunt Iouem; quare non nisi fuste Tarquinij demetenda, cum nec rectè regi, nec regere valeant, nata ad fumum non ad obsequium imperiumq;. Considerandæ tandem virtuti prodigiosæ, de thaumaturgo Augustiniano LILIO affatim dimananti, immoremur libentiùs; thaumaturgum dixi REGIVM FLOREM, nec affirmans hæsito. Enimuero prodigium est, ab occasu tractæ, ad ortum erectæ firmæq; valetudinis perducere grauiter affectos; perduxit LILIVM BONERIVM. Prodigium est, è caligine in solem, depulsa animi corporisq; cæcitate, identidem vtroq; lumine captos educere; eduxit LILIVM BONERIVM. Prodigium est, rapidis haustos vndis, victimam furentis Neptuni, in littore vitæ ac salutis tutò collocare; collocauit LILIVM BONERIVM. Prodigium est, fœda elephantiasi fœdatos, syncope, epilepsiâ, & quouis insanabilium genere morborum laborantes, formæ restituere, copiâ virium cumulare; restituit cumulauitq; LILIVM BONERIVM. Prodigium est, de limine agentium animas, trucem Libitinam fugare, vitam quâ carius nihil fugientem detinere; corpora mortalium è dominio infernalis tyranni, & eius arcta obsidione vindicare efficaciter, alia fatali sepulchro iam iam includenda, cedente anima naturæ, aurâ iterum viuidâ, luceq; vitali donare; donauit, vindicauit, detinuit, fugauit LILIVM BONERIVM. Prodigium est, inexstinguibiles purgatorios ignes exstinguere, captiuosq; spiritus æternam in libertatem asserere, ac blandis in regione beata exponere Zephyris; asseruit exposuitue LILIVM BONERIVM. O FLOREM prodigiosum! O cælestem FLORIS prodigiosi virtutem! O virtutis pænè Diuinæ magnitudinem! vestra hæc Religiosissimi Patres ex integro gloria est, vestri Eremitici Horti Florentissima Panegyris, quam augent præterea vberrimè, exornant venustissimè, loquuntur vel in meo silentio copiosissimè, innumera reliquorum agmina Florum:

Quos neq; frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes,

Fons limpidus Diuinitatis, grataeq; Diuini Pneumatis Charites, vndâ abundantis pietatis, nec mediocris scientiæ religiosæ, donorum naturam supergressorum, irrigant luculenter, educant decenter, fouent conuenienter: vnde tam piæ quàm eruditæ pascuntur apes Catholicæ, legendoq; cultissima prata,

—— —— —— — *mella tenacia fingunt*

Heliconijs, Hyblæis, Hymetijsq; dulciora & puriora in pastum nobilem, vniuerso quâquâ latè patet orbi Christiano. Video hìc læto animo, decora triplici diademate, tria Lilia solo Vaticano distincta à Bonerio. Video rubentes & albicantes Rosas, multicolores Violas, stant ob oculos immortalitatis, perspicui Narcissi, purpurei Hyacinthi, Magni Avrelij summa decora, Adonidi, Alcinoo, Tantalo, Cyro, Tarquinio, Catoni Censorio ac deniq; Syllæ; fabulosis verisq; Hortensijs inaudita. Intuemini adoraturi simul *Gelasium, Paschalem, Amedeum*, mortalium Pontificumq; Summos, equidem coronata *Lilia* intuebimini veneraturi. Circumspicite *Ægidium Canisium, Alexandrum de Oliua Saxoferratensem, Bonauenturam de Peraga, Franciscum Regiensem*, Supremos Romanæ Ecclesiæ Senatores Purpuratos; Hyacinthos purpureos circumspicietis. Colligite *Ægidium Columnam* qui *Angelicum Præceptorem* contra impudentis temeritatis impetum, & temerarium obstrepentium ausum, suo Defensorio validè fulciuit, accerrimè defendit, atq; in *Concilio Viennensi* tanquam magni *Consilii Angelus* pro vtraq; Ecclesia, militante triumphanteq;, sapienter & gloriosè militauit, bellauit, triumphauit. Cõsiderate *Paulinum Bertum*, qui *Beati Alberti Magni* vniuersa opera typis mãdauit, suæ magnitudinis in re literaria mensuram & prototypon facturus. Spectate cum stupore animi *Thomam Penketum*, non vulgaris acuminis, incomparabilis memoriæ virum, qui auro pretiosiora *Subtilissimi Doctoris* opera, gazophylacio memoriæ suæ penitus

incluſerat, eaq; in publicum per impreſsionem dederat: veluti par Atlas Diuino Subtilium oneri ſufferendo, cui etiam leuiter mouendo, cum quidam immaturi Stoici non ſufficiant, oderunt immeritò, ignorantes quale eſſet quod oderunt, ſimulq; vt deſinunt ignorare, ceſſant & odiſſe; Narciſsos claritate Sacræ doctrinæ perſpicuos, colligetis, cõſiderabitis ſpectabitisue. Memorate per gaudium D. *Thomam à Villa noua, Alphonſum de Oroſco, Ambroſium Calepinum, Fulgentium*, inſignes quos illa ætas vidit oratores; *Cornelium Curtiũ, Dionyſium è Bugo Hetruſcum, Henricum Hẽriquez*, nobiles Pöëtas, ſublimes Theologos; multicolores Violas memorabitis. Numerate excedentes numerum exercitus Martyrum, vniuerſas hæreſes ac idola ſtrenuè diruentium, ſuoq; eadem ſanguine inundantium; rubentes Roſas numerabitis. Repetite *Auguſtinas, Eleonoras, Benedictas, Conſtantias*; Roſas vitæ puritate albicantes repetetis. Animaduertite demùm alijs in areis, alios concinnè diſpoſitos FLORES, ſoliq; tantùm æternitati percenſendos atq; nominandos. Ex hac parte nitet *Reuerendiſſimus* Calui Montis Lechici *Ioannes Abbas* huiuſce quoq; cœnobij nulli in ſanctimonia poſtremus Prior. Ex illa viret in poſthuma recordatione ob immarceſcibilẽ ſui nominis glorioſi famam *Stanislaus Iendrouius*, Inuicti Herculis Sarmatici, *Stephani Poloniarum Regis*, Theologus. Ex hac floret iucundè *Gregorius Ilcuſanus*, opum in viſceribus terræ Ilcuſienſis abditarum, inuentor demonſtratorue prodigioſus, Rem Polonam ditans etiam hodie, ſemper verò erudiens poſteros, longè plura atq; nobiliora reperiri ab ijs, qui multa ſeu modica Numinis amore ſpontè amiſêre: aut Religioſã inopiam theſaurum eſſe Regnorum incomparabilem. Ex illa parte *Ludouicus Legionenſis* nobilis generis literarumq; decore præfulgens, oblectat gratanter *Carmelum Marianũ*, gemmam eius & decorem, mores nimirum & acta propè Angelica, Virginis Matriſq; Seraphicæ *Diuæ Thereſiæ*, culto calamo, pari ingenio circumſcribens. A dextra viſuntur per ſublimium intelligentiam rerum eleuata Heliotropia, lu-

 men

men indeficientis Orthodoxæ ſcientiæ, intrepido paſſu co-mitantia *Angelus Rocca*, *Onuphrius*, *Cornelius Lancilottus*, pleno ſimilium comitatu circumfuſi, Amaltheæ Vaticanæ fidiſsimi vſq; nunc vigiles, & indefeſsi amplificatores. Læuam exornant lætiſsimè, multâ Imperatorum gratiâ inclyti *Albinus & Felix*, hic *Ferdinandi*, ille *Caroli Magni*, quem eò prudenti ſuaſu inclinauerat, vt Pariſienſem atq; Papienſem Academiam, impenſis non modicis erigeret, dominij & Muſarum æqualem gerens curam, cum illius ſalus & dignitas in harum integritate conſiſtat reſideatuè. Longum foret & ſi peramœnum, tam exiguo temporis ſpatio, ſingulas Viridarij Auguſtiniani venuſtè virentes formas referre, quibus ſeptuaginta planè ſacri Ordines Religioſi, tanquam ſeptuaginta Ephraim nati, aut Diuinæ mentis ſacro textu velatæ internuntij, gloriantur. Non magis profectò nitent illi aſtrorum ignes in ſerena nocte, quàm hi Aureliani ſcintillantes micantesq; variè Flores. Quanta hic amœnitas? quantus ſplendor? quantum Rei Catholicæ decorum & commodum? Quid primum voueam? oculos Argi, an olfactum Catulli? adeo vtrumq; ſenſum pariter permulcet mihi hæc ſacra voluptas. Ite, ite omnes Arabũ odores! Perite, perite Semiramidis àërij penſileſq; flores! & Maſiniſsæ nouus ac celebris Africa mirante cultus, qui nauſea mihi præ halitu hoc ingenuo, cultuq; eximio & verè cæleſti. Vertat aliò ſtylum Satyricus, immo accinat plauſibilis tot ſplendoribus præſtanti Eremo;

Hic ſemper Violæ ſemper quoq; Lilia florent,
Nec riget amiſſâ ſpina relicta Roſâ.

Piaculum eſt, æquè ſanctitate ac Eccleſiaſtica dignitate florentem quouis ſæculo, Solitudinem hanc irreuerenter attrectare. Abſiſtant inde, abſiſtant picti lacerti! non fucatum nomen alienum improbè lacerantes, neq; luxuriantes pecudes,

— — — — *hædiq; petulci,*
Floribus inſultent:

quorum maieſtas, omnes artificum labores ſupergreſſa, vt

cordi

cordi est ita curæ, vindici Supremæ Maiestati, insolentes conatus & ausus, funesto supplicio crebrò mulctanti. Nec mihi quoq; fas est, adeò splendidam & Augustam Floræ Augustinianæ Maiestatem exili suada latiùs explicare, cũ neq; vnico FLORI BONERIO, bene vt par est deprædicando sufficiam: proinde languenti præ suauitate copiâq; odoris eloquio, silentium impono, extremam vt & primam vocem, TIBI O D. ISAIA! cum pronis votis consecrando; adnecte thaumaturgum LILIVM TVVM SERENISSIMÆ LVNÆ KORYBVTHEÆ, adauge lucem candore; gratiam vigoremq; longæuum, odore; imperterritam fortitudinem, robur validum virtute prodigiosa; ad interpositionem LILII TVI, deficiat ac perpetuam patiatur Eclipsim Luna Othomanica: intereant famosa Thraciæ, Asiæ & Africæ monstra, refulgeat refloreatq; Lechicum nomen, per fortunatum Candidi atq; floridi Stemmatis TVI omen; nobilissima terrarum Polonia, tot iam annos ferro atque igne mixta, diris cladibus lacerata, cuius pars per Threycios acta canes, inter barbaras gentes raptatur, pars nondum expiatis vncta cruoribus, incumbentem, à ferali Bizantini cæli Astro, tempestatem perhorrescit: priorem animum cum primæua virtute resumat, methoraq; fata repetat; vastatæ Vrbes, direptæ Prouinciæ, veteres ac dites familiæ ad egestatem redactæ, omniq; fortunæ cultu destitutæ; pristinæ sorti, beatoq; sæculo restituantur. Tu verò Auditor Dignissime, tot Laureis, quot heroicis virtutibus coronate, Sertum præterea Liliaceũ è LILIETO BONERIO, ortum ac desumptum, in præmium moræ præsentis assume; Candidos semper dies, lætos nimirum felicesque atrâ mæroris nube pulsâ, diu continenter ac prosperè in eo celebraturus.

D I X I.